

• S • G • B • T • B •



• T • G • G • T •



z. B. A. h

W. A.

J. q. 259.



61
COLLEGII TERTII
In Augustanam Confessionem
DISPUTATIO XXVIII.

continens
ANTIΘΕΣIN ARTICVLI VII.

De Ecclesia,

Et in specie,

De Auctoritatibus Patrum & præ-
rogativis Petri, quibus Becanus probare cona-
tur primatum Jurisdictionis Petro datum esse, &c.

Proposita.

In Electorali Academia VVittebergensi,
P R Æ S I D E

JACOBO MARTINI S.S. Th.

Doct. & Profess. Publ. Primario, Facult. Theol.

Seniore, ac Templi Arcis Præposito,

RESPONDENTE

STEPHANO Gräßlern VVitteberg.

In Auditorio Collegii Veteris

Ad diem 19. Decembr.

WITTEBERGÆ,

Ex Officinâ Typogr. AMBROSII ROTH, Acad. Typogr.

ANNO M DC XXX.

COLLEGIUM MARTINI
IN AUGUSTANA UNIVERSITATE
DIE XXIIII OCTOBRIIS
ANNO MDCXXXIIII
DE ARITHMETICIS NUMERIS & PRAE-
TEREA DE ALIIS MATHEMATICIS
ARTIBUS
JACOBO MARTINI S. TH.
PROFESSORI & PUBLICO ACADEMIAE
MAGISTRO
IN METROPOLI ACADEMIAE VITTOBERGENSIS
P R A E F A T I O
S T I B
ANNO MDCXXXIIII





D. O. M. A.

Continuatio.



Primum argumentum Becani pro Monarchia Petri, à dicto Christi, Joh. 21. 17. peti- tum, & in Manuali repetitum, fu- sius verò libr. 2. de Republ. Eccles. c. 3. expositum vidimus: Sequuntur cætera duo: quorum primum, quod in ordi- ne secundum, ab autoritate Patrum, & tertium à præ- rogativis Petri desumptum est. De quibus hac Dispu- tatione agemus.

THESIS I.

Antequam verò ad argumentorum istorum solutionem accedam, in genere ostendendum est, quod contra nos nihil concludant, sed fallaciam ignorationis Elenchi ubique com- mittant. Quæstio est, *an Petrus habuerit primatum potestatis & jurisdictionis Ecclesiasticae*, hoc est, an fuerit Monarcha per uni- versam Ecclesiam: proindeque habuerit potestatem Reges de solio deijcendi, regna conferendi: an quidvis agens, à nemi- ne potuerit argui, & fuerit omnibus generalibus conciliis su- perior, an ad eum ex omnibus totius orbis Ecclesiis appella- tiones factæ sint: ad summam! an Petrus fuerit talis Monar- cha, qualem Papam esse nugantur Jesuitæ & Monachi. Hoc verò quia neminem ex Patribus, ne per somnium quidem co- gitasse non ignorat Becanus, declinat prælium, & probat, Pa-

aves dixisse, Petrum esse caput Ecclesie, habuisse primatum in Aposto-
los ceteros & Ecclesiam: fuisse principem Apostolorum: esse petram
& fundamentum Ecclesie, &c. atque sibi imaginatur, id satis esse
ad ostendendum id, quod intendit & proposuit.

II. Sed fallitur, & fallit Jesuita. Nam primum vox
caput est æquivoca: quippe significat eum, qui vel doctrina,
vel dignitate, vel dominatu cæteris præstat. Chrysostr. homil.
18. ad Rom. *Elias Prophetarum caput*. Synodus Ephesina in E-
pist. ad Theodosium & Valentinianum Imperatorem: *Caput*
Episcoporum congregatorum, Cyrillus. Gregorius in 1. Reg. l. 4. c.
5. *Paulus est caput nationum*. Neque tamen Elias Monarcha fuit
inter omnes Prophetas: neque Cyrillus fuit Monarcha inter
omnes Episcopos: neque Paulus omnium nationum Monar-
cha fuit.

III. Eadem est ratio de voce primatus. Nam Mar-
tilius Patavinus *part. 1. Defen. cap. 16.* ejusmodi innuit distinctio-
nem: quod *primatus* sit vel *ordinis*, vel *potestatis* sive *jurisdictionis*.
Ordinis primatus is dicitur, quando multi in officio & potesta-
te pares sunt, unus tamen illorum tenet primum locum, & re-
liquos præcedit, ut ita inter istos loci vel sessionis ordo serve-
tur. *Jurisdictionis* est, quando unus non tantum locum tenet
primum; sed & alios sibi subiectos habet, qui ab ipso depen-
dent, ejusque judiciis acquiescunt, & sine ipsius arbitrio, vo-
luntate, & nutu nihil suscipiunt, aut suscipere debent. Sic
quoque alius ætate, alius dignitate, alius eruditione primus
est. Ambrosius serm. 35. de Jejunio: *Esau per lentem amisit ho-*
norem primatus. August. tract. 73, in Johan. *Esau suos primatus per*
lenticulam perdidit. Concil. Chalced. Act. 1. *Decernimus cum* (lo-
quitur de Eutiche) *extraneum esse à primatu ministerii*. Concil.
Constantinopol. primum cap. 2. *Alexandria Episcopi solius orien-*
tis curam gerant, servatis honoribus primatus Ecclesie Antiochena.
Theodosius & Valentinianus ad Dioscorum in Concil. Cal-
cedon. Act. 1. *Primatum tue præbemus beatitudini*. Neque tamen
Esau, neque Eutyches, neque Episcopus Antiochenus, neque
Dioscorus, fuerunt Monarchæ: multò minus tales Monarchæ,
qua-

qualem esse Papam adultores ejus jaētitant. Neque minus Paulo idem nomen tributum est, quippe de quo Greg. scribit in 1. Reg. 1.4.c.4. *Paulus obtinuit totius Ecclesiae principatum.*

IV. Quando verò Patres Petrum dicunt Petram & fundamentum Ecclesiae, respectu confessionis & doctrinae dicunt. Papani successionem Romanensium Pontificiorum simul comprehendere putant: Patres verò solum Petrum sine societate & successione Paparum, petram appellitant. Et cum Petri cathedram dicunt, nil quoque nisi Petri fidem & doctrinam intelligunt. Haud secus ac Pharisei dicuntur sedere in Moysi cathedra, dum illa praescriberent, quae Moyses tradidit, *Matth. 23. v. 2.* Cathedra itaque Petri apud nos est: qui Petri fidem & doctrinam in omnibus sequimur.

V. Quae cum ita sint, facile quilibet, quid de Encomiis, quae plurima passim apud Patres reperiuntur, statuendum sit, videre & judicare posset; ut forsitan opus non esset ad singula à Becano allegata respondere. Verum, quia constitimus omnes adversarii strophas excutere, neque hanc praeterire debemus.

VI. Sic ergo pergit Becanus: *Secundo ex Patribus; Quis tam clarè, disertè, & rotundè loquuntur de primatu Petri, ut clarius, disertius & rotundius loqui non possint. Nam aliqui expressè vocant illum vicarium Christi, ut Ambros. ad cap. 24. Luca: Anselmus ad caput 16. Matth. Bernb. lib. 2. de consideratione ad Eugenium: Genadius Scholarius, de primatu Papae sect. 2.*

VII. Argumentum est ejusmodi: *Omnis vicarius est Monarcha: Petrus est vicarius, testantibus Patribus. Ergo Petrus testantibus illis ipsis est Monarcha.* Quis verò concederet Jesuitae majorem: cum vicarius & Monarcha, tam procul distant, ut servus & Dominus. Ut ergo servus non est Dominus, sic nullus vicarius est Monarcha. Adde, ut Petrus Christi vicarius est, sic omnes Apostoli, omnes Episcopi vicarii Christi sunt, nempe ut pascant oves Christi.

VIII. Alij (subjicit Becanus) *caput Ecclesiae, ut Hieron. ad Psal. 13. Chrysof. hom. 11. in Matth. Philo Carparius in cantica.*

Argumentum est: Quicumque dicitur caput Ecclesiae, ille est Monarcha, & habet primatum jurisdictionis in Ecclesia: At Petrus ita dicitur: ergo est Monarcha.

IX. Negamus Majorem. Caput enim, ut monuimus, est æquivocum: cum aliquis possit eruditione, consilio, auctoritate, dignitate & ordine: non statim dominatu, neq; potestate caput dici. Ut Elias dicitur caput Prophetarum: cum tamen non sit omnium Prophetarum Monarcha: Cyrillus dicitur caput Episcoporum: qui tamen non est Episcoporum Monarcha. Quare etiam Petrus vel zelo, vel ordine, vel ætate, non Monarchia, vel dominatu, caput fuit, & sic à Patribus vocatus. Et Chrysof. quoque dicit, *Paulum esse Ecclesiarum Dei sollicitum curatorem, credentium pronubum; nostri omnium sagenam;* hom. 22. ad popul. Antioch. de pœnitentia. Idem hom. 36. in Matth. *Domos totius orbis aperit Apostolis.* Et hom. in Acta: *Jam & illud considera, quod Petrus agat omnia ex communi discipulorum sententia, nihil auctoritate sua, nihil cum imperio:* At, qui nihil ex imperio, sed omnia ex communi collegarum sententia facit; ille re ipsa ostendit, se cæterorum non Dominum aut Monarcham, sed collegam esse.

X. Pergit Becanus: *Alii caput omnium Apostolorum, ut Optatus Milevitanus lib. 2. contra Parmenianum, Cyrillus Alexandrinus lib. 12. in Johan. cap. 64. Alii principem Apostolorum, ut Cyrillus Hierosolymitanus catech. 2. & 11. Basiliius in proœmio præceptionum latius disputatarum. Hieronymus in catalogo scriptorum Ecclesiasticorum.* Argumentum est rale. Qui Petrum dicunt principem Apostolorum, illi adscribunt Petro dominatum in Apostolos. Prius fecit Optatus & Cyrillus: Ergo adscribunt ipsi dominatum in Apostolos.

XI. Primum negamus majorem. Nam princeps (de capite enim jam egimus) sæpè idem est, quod primus seu præcipuus: Cicero lib. 6. Ep. 12. *Principem tamen habemus Pansa, tui studiosissimum, mei cupidum, qui valet apud illum non minus auctoritate quam gratia:* Pansa autem non fuit Romanorum Monarcha. Et hoc modo dicit Chrysofomus. *Quam est (inquit) servidus,*

vidus, quem agnoscit creditum à Christo gregem, quam in hoc choro princeps est, & ubiq; primus omnium incipit loqui. En principatum constituit in fervore, & in eò, quòd primus omnium loquitur, quod etiam ex fervore sivè zelo proficiscitur. Hoc ita esse manifestum est. Paulò enim post dicit: *Petrum ex communi discipulorum sententia nihil pro imperio fecisse.* Et addit, *Petrum bene fecisse, quod reliquos Apostolos condiscipulos vocavit.* At qui potest Petrus illorum esse Monarcha, quorum condiscipulus est. Augustinus in Psal. 67. *Omnes Apostolos vocat principes. Principes sunt Apostoli. Ipsi enim prævenerunt, ut populi sequerentur.*

XII. Quis Optatus ille sit, nescio: Neque Trithemius ejus facit ullam mentionem. Credibile autem est, autorem istius libri virum doctum non fuisse. Dicit enim Petrum inde appellatum esse Cephass, quod fuerit omnium Apostolorum caput. Hoc vero hausisse illum ex supposititia Anacleti epistola, & esse ridiculum, non potuit ignorare Becanus: cum Cephass non sit caput sed lapis. Deinde dicit Linum successisse Petro: quod pugnat cum Clemente Romano & aliis Patribus.

XIII. Quæ mens Basilii sit, qui scire cupit, legat ejus Ascetica. In iis enim cap. 22. dicit *Christum dedisse omnibus pastoribus & doctoribus æqualem potestatem, & hujus rei signum esse, quod omnes ex æquo ligant & solvunt, ut Petrus.* Si verò æqualem habent cum Petro potestatem, utique is illorum non erit Dominus vel Monarcha. Et Hieronymus quoque satis se explicat lib. I. ad Jovinianum: ubi etiam Apostolos æquat, & Ecclesiam supra omnes Apostolos fundatam esse, & cunctos claves regni cælorum accepisse, & Ecclesiæ fortitudinem ex æquo supra eos solidatam esse dicit: Ergo non loquitur de capite Monarchico. Deinde dicit in eadem sententia: *Hoc ætati delatum esse, quia Petrus senior erat.* Unde apparet, cum secundum ætatem vel secundum ordinem caput, & Principem Apostolorum dici: At hoc non negamus. Christus enim vitandæ confusionis causa, quæ omnes societates, in quibus non est ordo, perva-

pervadit, Petro mandavit, ut, quia reliquos ætate superabat, pro iis loqueretur & ageret, tanquam caput omnium.

XIV. Idem censendum est de cæteris, qui Petrum vocarunt *Pastorem Apostolorum, pastorem pastorum, verticem Apostolorum, Apicem Apostolorum, Antesignanum, Petram & crepidinem Ecclesie Catholicæ, &c.* Nam hæc quoque & similia elogia tribuuntur Petro non ratione personæ, multo minus successorum; sed partim respectu veræ fidei, quæ fundamentum Ecclesie est, & à Petro constanter propagata: partim respectu prioritatis inter Apostolos: quæ verò non in jurisdictione Papali, sed in solo senioratu, & loci, ordinisque primatu posita fuit: partim respectu nominis *Cepha*, quo multi alluserunt, undè tamen minimè concludendum, quod ille solus fuerit petra. Etenim & filii Zebedæi soli *Boanerges*, id est, fulminatores dicti sunt, nec tamen soli erant: ita Petrus *ειδικως* quidem à petra nominatus est, non tamen solus petra extitit, sed unâ cum cæteris Apostolis, ita quidem, ut Petro solo nominato cæteri nō excludantur, sed sub primi & senioris Apostoli nomine simul intelligantur. Sic primatum ordinis, (nempè juxta mentem Patrum) habuit, qui primus fuit inter collegas: temporis; qui prius vocatus fuit ad Apostolatam, quàm Johannes & Paulus: ætatis, quia etiam ille alios antecelluit, uti illud ex allegatis Patrum dictis est manifestum.

XV. Tertium & ultimum argumentum, quo primatum jurisdictionis & dominatum Petri, Becanus probare fatagit, desumitur à prerogativis Petri §. 45. Tertiò, (inquit) *idem probatur ex prerogativis Petri. Varia enim sunt prerogativa seu privilegia illius, ex quibus colligitur primatus, & eminentia ejus super alios Apostolos. Non quod unaquæq; prerogativa per se sufficiens sit ad adstruendum primatum; sed quod omnes simul sumptæ id faciāt, sunt autem hæc præcipuè. 1. Quod Christus soli Petro, inter omnes Apostolos, proprium nomen mutaverit. 2. Quod quando in Evangelio recensentur nomina Apostolorum, semper primò loco ponatur Petrus. 3. Quod scriptura loquatur de Petro, tanquã de principe: de aliis Apostolis tanquam de subditis. 4. Quod Petrus sæpè loquatur nomine*
omnium

omnium Apostolorum, tanquam illorum Antesignanus. 5. Quod inter omnes Apostolos, soli Petro sit facta prima revelatio divinitatis Christi. 6. Quod soli Petro inter Apostolos promissa sit stabilitas fidei & cathedra. 7. Quod Christus pro solo Petro & seipso voluerit tributum solvi in Capbarnaum. 8. Quod post resurrectionem inter omnes Apostolos, soli Petro primum apparuerit. 9. Quod Petrus suam auctoritate vocaverit alios ad electi onem novi Apostoli in locum Jude proditoris. 10. Quod primus promulgaverit Judæis Evangelium, post acceptum Spiritum Sanctum. 11. Quod primum miraculum apud Judæos fecerit, in confirmationem Evangelii. 12. Quod etiam primus predicaverit gentibus Evangelium: & quod ipsi soli oblata sit visio cælestis, de vocatione gentium. 13. Quod primus in Concilio Hierosolymitano sententiam dixerit.

XVI. In hac prærogativarum enumeratione dissentit Becanus à Bellarmino: qui illarum viginti & octo recenset. Alibi omnes retinuit, hic mentem mutavit. Deinde mirandum, quod concedat Becanus unam quamque prærogativam per se sufficientem non esse ad adstruendum primatum Petri super alios Apostolos; sed omnes simul sumtas id præstare. Interim si simul sumtæ illud efficere possint, tum necesse est, ut singulæ per se & in se habeant suas potentias, quæ si conjungantur, & sic singularum virtutes uniantur, simul præstare possint id, ad quod una seorsim sumta non sufficiat. Si enim multi movere debeant homines grandem aliquem lapidem, quem unus movere nequeat: tum necesse est, ut omnes in se habeant virtutem ac potentiam movendi: Nam ægroti id non præstabunt, multò minus mortui. Quocirca si demonstratum fuerit, singulas illas prærogativas esse instar hominum ægrotorum vel etiam mortuorum, utiq; simul evictum erit, quod si vel maxime uniantur, nihil pro Becano & Jesuitis efficere possint.

XVII. Primam ergo prærogativam facit Becanus: Quod Christus soli Petro inter omnes Apostolos proprium nomen mutaverit. Sanè homo mortuus est hæc prærogativa, nulla planè potentiâ ad movendum grandem hunc lapidem, prædicta. Primum negamus Christum soli Petro nomen mutasse:

B

cum

cum & Jacobi & Johannis nomen mutaverit. Nam Marci: 3, 17. imposuit eis nomen *Boanerges*, id est filii tonitruum. Si ergo mutatio nominis est signū, quod quis vel sit vel esse possit, aut debeat Monarcha & Dominus, tum & hi Monarchæ esse debent. Si vero neque sunt, neque esse debent vel possunt Monarchæ; utique mutatio nominis non est ullo modo causa Monarchiæ. Alii quidem hanc potentiā quærunt in singulari emphasi & significatione vocis *Cephas*. Dicunt enim *Cephas* significare petram & caput: quia autem Christus petra & caput est Ecclesiæ, ideò Petrum ab eo vocatum esse *Cephas*, ut intelligeremus, eum loco Christi petram, fundamentum & caput Ecclesiæ esse. Verum quis non intelligit unam petitionem principii post alteram committi, & sic vitiosè illas multiplicari.

XVIII. Nam licet verum sit, & à nemine negetur, Simonem *Cephas* dictum esse, & hoc significare *petram*: quis autem concedet, illo significato dictum & confirmatum esse, Simonem esse illam *petram*, super quam Ecclesia ædificata sit: & non potius indicatum, Petrum simul cum cæteris Apostolis in hoc fundamento collocando laborasse, vel quia fidem Petri, id est illum, in quem credidit, & quem confessus est, Ecclesiæ fundamentum esse, ut antea exposuimus. Quod ad caput attinet, magna inscitia est. Neque enim *Cephas* Latine, neque Græcè, neque Syriacè caput significat. Quia autem *Anacletus* in tertia Epistola nugatur, Petrum ideò fuisse principem Apostolorum, quia à Christo *Cephas*, id est caput appellatur, nempe derivatum vult à κεφαλή; meritò supposititium & indoctum hunc *Anacletum* cum suo cōmento rejicimus. Quod autem Jesuitæ in tanta Evangelii luce tales nugas seculo tam docto recoquere non erubescunt, superbam contumaciam arguit.

XIX. Altera prærogativa est; quod *semper Petrus primo loco ponitur*. Ut præcedens; sic hæc petitionem principii involvit. Nam probetur, quod hæc in primo loco collocatio ex se sit signum primatus potestatis sive jurisdictionis. Deum
immer-

immortalem, quibus convitiis nos exciperent Jesuitæ; si nostra dogmata ejusmodi jejunis nugis defenderemus: Interim, Deo nostro agimus gratias, quod ex densissimis illis tenebris liberati, videre possumus Pontificis Romani tyrannidem ejusmodi quisquiliis fundatam esse.

XX. Deinde negamus Petrum semper primo loco collocari. Nam *1. Cor. 9. 8.* ponitur ultimo loco: *Ut & reliqui Apostoli & fratres Domini & Cephas.* Sicut *1. Cor. 3. 12.* *Sive Paulus sive Apollos, sive Cephas.* *Gal. 2. 9.* ponitur secundo loco: *Cumq; cognovisset Jacobus, Cephas & Johannes.* Bellarminus ad duos priores locos nihil respōdet, ad ultimū dicit, *scripturam ad Galatas corruptam esse.* Commodissima responsio. Hęc unica enim via sese omnibus laqueis & labyrinthis facilē expediverit: cur non idem de duobus prioribus prætendit. Nugæ sunt, responsione indignæ.

XXI. Tertiò: quod Petrus quandoq; primo loco ponitur, non fit propter Dominium, sed propter ordinem: quo eum primum fuisse non negamus: uti etiam omnia dicta Patrum de hoc ordinis principatu intelligenda sunt.

XXII. Tertia prærogativa: quod *scriptura de Petro loquatur, tanquam de principe; de aliis Apostolis, tanquam de subditis.* Nos hanc prærogativam simpliciter negamus, utpotè quæ nullo sacrae scripturae loco vel exemplo probari potest. Sanè Paulus ipsum, ut principem, nequaquam recognovit: ut demonstravimus.

XXIII. Quartò: *Quod Petrus sæpè loquatur nomine omnium Apostolorum, tanquam ipsorum Antesignanus.* Primum argumentum particulare est, ideoque nihil probat. Forsan aliquid probaret, si dicere ac demonstrare posset, Petrum semper primum fuisse locutum. Id verò falsum est. Bellarminus quidem dicit, Petrum in Concilio primum locutum esse, & sententiam ejus Jacobum & reliquos esse secutos; indeq; probare satagit, Petrum fuisse Monarcham inter Apostolos. Sed nugæ sunt. Multi enim in isto Concilio locuti sunt, priusquam Petrus loqueretur. *Act. 15. 7.* *Cum autem multa disceptatio fuisset,*

dixit Petrus. Manifestum indè est, illos inter se multum disceptasse, priusquam Petrus loqueretur. Neque cæteri inierunt in sententiam Petri. Nam post Petrum Paulus & Barnabas exposuerunt, quomodo Gentes etiam per ipsos essent conversi. *Act. 15. v. 12.* & tum demum Jacobus sententiam dicit. *Act. 15. v. 19.* atq; huic reliqui assentientes decretum ex communi sententia fecerunt. *Act. 15. v. 22.* Hæc omnia disertè ita scribuntur à Luca locis notatis; non igitur ferendus Hieronymus, neque quisquam alius contrarium sentiens.

XXIV. Etsi etiam omninò verum esset, cæteros omnes in sententiam Petri ivisse; non tamen indè statim Monarchia ejus stabilitur. Paphnutius in Concilio Niceno contrariam sententiam de matrimonio sacerdotum defendit, & omnes Episcopi iverunt in ejus sententiam; neque tamen Paphnutius Monarcha fuit. Eodem modo nihil efficeret; si vel maximè probari posset, Petrum semper primum fuisse locutum. Neque is, qui primum loquitur, est statim Monarcha; sed vel præses, vel ordine primus, vel magna autoritate præditus &c.

XXV. Quinta prærogativa: *Petro primum revelatum est, Jesum esse filium Dei.* Neque hæc vera est. Prius enim hoc revelatum fuit Johanni Baptistæ *Matth. 3. v. 17.* Cum enim Johannes Christum baptizaret, Pater è cælo clamavit: *Hic est filius meus dilectus, in quo acquiesco.* Et Johannes illius revelationis efficaciter particeps factus est, *Job 5. 33.* *Ego non noveram eum, sed qui me misit, ut baptizarem, ille mihi dixit: super quem descendit Spiritus S. ille est, qui baptizat igne: & ego vidi & testor eum, esse filium Dei.* Quin & Simon, cum ex instinctu spiritus veniret in templum, & primum Jesum amplecteretur. *Luc. 2. 18.* sanè cognovit ipsum esse Messiam & filium Dei. Quid? quod etiam Maria mater Domini ex Angelo didicerit, se filium Dei parituram, priusquam eum conciperet. *Luc. 1. 35.* Idem de Anna & Josepho, Zacharia, Elisabetha, multisque aliis statuendum: ut ita constet, neque soli Petro Christum revelatum esse, multosq; fuisse, qui eum agnoverint; priusquam Petrus *Matth. 16. eum confitetur.*

26. Sexta

XXVI. Sexta prærogativa: *Quod soli Petro inter Apostolos promissa sit stabilitas fidei & cathedræ* probari quoque non potest. Nam prius non tantum promissum est Petro; sed omnibus fidelibus: De posteriore, nempe *Cathedra*, nihil legitur. Alias cathedra significat doctrinam: & sic cathedra Petri erit doctrina Petri, & non tantum Petri, sed omnium Apostolorum. Sic omnibus electis stabilitas, & finalis perseverantia in fide est promissa. Johan. 6. 39. *Hæc est voluntas Patris, qui misit me, ut omne, quod dedit mihi, non perdam, sed resuscitem in novissimo die.* Et cap. 10. 29. *Pater meus major omnibus est, nemo potest eos rapere è manu Patris mei.* Origenes tract. 16. in Matth. *Adversus nullum eorum, qui tales sunt, (loquitur de fidelibus) prævalent porte inferorum.* Per cathedram autem illam Beccaus cum suis Papistis, intelligit Romam, & dicunt, contra illam nunquam prævaluisse portam inferorum. Verum hoc falsum & ridiculum est.

XXVII. Falsum est. Multi enim Papæ fuerunt Apostatæ, *Lyra in cap. 16. Matth.* Et Pontifices omnes per aliquot annorum centurias in hunc usque diem fidem Apostolorum non tenent. Peregrina enim dogmata, in scripturis non fundata, ut de sacrificio Missæ, sanctorum invocatione, purgatorio, profitentur: Apostolicos libros negligunt, & traditiones hominum sequuntur. Ridiculum est. Sedes enim Romana non est Petrus; & ut nunc est, nihil habet commune cum Petro. Nazian. pulchrè ait Orat. de laudib. Athanasij *Qui eandem fidem profitetur, ejusdem quoque throni particeps est. Qui autem contrariam fidem amplectitur, adversarius in throno quoque, censeri debet.* Atque hic quidem nomen, ille verò rem ipsam & veritatem habet successionis. Hieronymus referente Gratiano dist. 40. cap. *Non facile ita scribit: Non sanctorum filii sunt, qui tenent loca sanctorum; sed qui exercent opera eorum.* Ambros. lib. 1. de pœnit. cap. 6. ait: *Non habent hereditatem Petri, qui fidem Petri non habent.* Et ipsum jus Canonicum à locali successionem firmum, argumentum duci non posse sat iunuit, dist. 40. c. *Multi.* Ubi hæc verba: *Multi sacerdotes & pauci sacerdotes: Multi nomine, pauci opere.*

opere. Videte ergo quomodo sedetis super cathedram: quia non cathedra facit sacerdotem: sed sacerdos cathedram.

XXVIII. Septima prerogativa est. *Quod Christus pro solo Petro & seipso voluerit tributum solvi in Capernaum.* Quæ per Deum immortalis est consequentia: Petrus ex mandato CHRISTI solvit tributum: Matth. 17. Ergo Petrus est Monarcha. Risum teneatis amici! Stultus ego, qui semper putavi solutionem tributi non esse signum Dominatus & Monarchiæ, sed subjectionis. Si autem Metamorphosis hæc sit concedenda, quod tributarius sit Monarcha & Dominus ejus, cujus est tributarius, tum Papa Romanus neque Monarcha neque Dominus est. Ille enim nemini tributum solvit: Imò cum totius orbis offensione ab iis rebus, quæ sunt, & non sunt, tributum exigit: Si cupis audire Missam, sine tributo non audies. Si cupis baptizari, tributum exigit: si vis sepeliri, tributum debes: quin ab omnibus factis & sceleribus tributum exigit. Vide *Taxas Apostolicas.*

XXIX. Vera autem causa cur Christus pro se & Petro tributum solvi voluerit, est ex textu manifesta: nempe ne scandalizaret cæteros, & ne haberentur pro seditiosis: qui vel ipsi nollent solvere tributum aut censum, vel prohiberent alios, aut saltem ne exemplo ipsorum alii ad detrectanda talia obsequia abuterentur. *Ad hæc ergo incommoda declinanda dixit Dominus ad Petrum, age, vade, & immitte hamum in vicinum mare, & quem piscem primò extraxeris, aperto ore ejus stateram, (hoc est, geminum didrachma) invenies, & da eis pro me & te.* Hæ fuerunt veræ causæ, non ut significaret, Petrum futurum Monarcham. Quid enim hæc census solutio cognationis vel commercii habet cum Monarchia vel dominatu. Hoc sanè est ineptissimè argumentari à baculo ad angulum.

XXX. Octava prerogativa est: *Quod post resurrectionem inter omnes Apostolos soli Petro primò apparuerit.* Sic ergo argumentandum esset: Cui Christus primò apparuit post resurrectionem, ille est Monarcha: Atqui Petro Christus primò post resurrectionem apparuit: Ergo Petrus est Monarcha.

narcha. Certè major est falsissima. Non enim Christus ideo apparuit, ut ille, cui apparuit, Monarcha fieret: sed ut crederet, Christum revera resurrexisse. Deindè minor falsa est. Primò enim omnium non Simoni, sed Mariæ Magdalenaë apparuit, *Matth 16.9.* *Manè primo die Sabbathi apparuit primum Maria Magdalenaë: si quis regerit, hanc mulierem fuisse: illi respõdeo: hoc nihil ad rem facere: Aut enim non est Monarcha, cui Christus primùm apparuit: aut Maria est Monarcha: sed hoc non: Ergo neque illud.*

XXXI. Nona est: *Quod Petrus sua autoritate vocaverit alios ad electionem novi Apostoli in locum Judæ proditoris.* Ponamus, convocasse Petrum Apostolos: sequeretur nè indè ipsum habere jurisdictionis primatum in Apostolos: sane liquet ex præcedentibus: consequentiam illam falsam esse. Facere enim potuisset, quod esset vel ordine primus, vel eorum, præses, vel senior, &c. Deindè falsum est illud commentum Jesuiticum. Petrus Apostolos non convocavit. Perdurabant enim concorditer in oratione, & deprecatione cum uxoribus, & Maria matre Jesu & cum ipsius fratribus. *Act. 1.14.* Ergo non convocati sunt à Petro.

XXXII. Forsan ergò ita corrigenda esset consequentia, Petrus condiscipulis suis, ultrò congregatis, suadet, in Apostata vel demortui locum deligendum esse alium: Ergo Petrus est Monarcha & Apostolorum Dominus. Sed æquè firma hæc est consequentia, atque altera illa. Quandoquidem non statim is, qui sibi, vel condiscipulis, vel collegis aliquid suadet, Monarcha est. Deindè Petrus non pro imperio, neque pro Monarchica potestate Apostolis mandat, quid fieri velit; sed æqualis inter æquales suadet, & hoc ipsum, quod ab omnibus vel à pluribus probatur, cum cæteris ratum habet: Rectè Chrysostomus hom. 1. in Acta: *Jam è illud considera, quod Petrus agat omnia ex communi condiscipulorum sententia, nihil autoritate sua, nihil cum imperio.*

XXXIII. Decima est: *Quod prius promulgaverit Judæis.*

deus Evangelium post acceptum Spiritum sanctum. Ergo inde inferendum : Petrum esse Monarcham ? Nequaquam verò : sed Petrum esse primum Doctorem, id rectè inferitur. Deinde neque illa præclara concio Petri, quam habuit *Act 2.* est prima concio, quæ ab Apostolis post ascensionem habita est : Hi enim omnes cum omnium admiratione locuti sunt, quæ Spiritus sanctus ipsis dabat eloqui. Quis autem dubitabit, Apostolos, cum ea loquerentur, quæ Spiritus sanctus illis dabat eloqui, Evangelium JESU CHRISTI prædicasse ? Adducit Bellarminus ad hujus argumenti & prærogativæ consequentiam stabiliendam autoritatem Chrysostomi, qui dicit, *Petrum fuisse omnium os.* Sed neque hoc juvat Jesuitas, neque nos lædit. Non enim qui alterius os est, protinus ejus Dominus & Monarcha est. Legatus enim est sui regis os : nequaquam verò sui Regis Dominus. Et sanè si Petrus propterea Monarcha est, quod aliorum os fuit ; tum Papa Monarcha nō est : quippè qui nullius os est : Neque enim concionatur neque prædicat : Contra verò si ille Monarcha & Dominus est, qui aliorum os est, tum Monarchi & Jesuitæ sunt Monarchæ & Domini Papæ & Episcoporum, quippè qui pro illis & istis loquuntur, h. e. illorum os sunt.

XXXIV. Undecima est : *Quod primum miraculum apud Judeos fecerit in confirmationem Evangelii.* Ergo vult concludere Jesuita : Qui primum edit miraculum ; ille est Monarcha : Petrus edit primum miraculum : Ergo est Monarcha. Negatur major. Miraculum enim nequè primum nequè secundum est causa Monarchiæ, sed causa confirmationis doctrinæ. Nec est quod urgeat illud, *quod primus ediderit miraculum.* Nam ubi alicujus rei initium fieri debet, ibi necesse est, ut aliquis sit primus, qui ejus initium faciat : Non autem sequitur, quod statim sit primus ratione jurisdictionis : cum, ut sæpè monuimus ; primus ordine, senioratu, autoritate &c. esse queat.

XXXV. Duodecima : *Quod etiam primus prædicaverit gentibus Evangelium, & quod ipsi soli oblata sit visio cælestis, de vocatione*

uatione gentium. Quæ rursus est consequentia: Petrus primum prædicavit Evangelium gentibus: Ergo est Monarcha? Nulla. Sed hoc sequitur: Ergo est primus Doctor inter gentes. Nam docere arguit Doctorem, non Monarcham. Deinde: Visio illa cœlestis Act. 10. Petro non offerebatur hanc ob causam, ut esset signum ipsius Domini in cæteros Apostolos & Monarchiæ: sed quia vocationem incircumcisorum immundam sibi imaginabatur; Deus ipsum de errore isto cœlitus monere, voluit: quem tamen omnem non omisit, quemadmodum ad *Gal. 2.* legimus, eum propterea reprehensum à Paulo, cujus sententia gravissima hæc est, quod Petrus non inceserit recto pede ad veritatem Evangelii; quia gentes coegerit judaizare. Turpem igitur fallaciam causæ committit Jesuita.

XXXVI. Decimatertia est: *Quod primus in Concilio Hierosolymitano sententiam dixerit.* Petrum dixisse in Concilio illo sententiam jam in consideratione & examine quartæ prærogatione negavimus: cum Jacobus sententiam dixerit, atque huic reliqui assentientes decreverunt ex communi sententia fecerint. Videatur in præcedentibus. th. 23.

XXXVII. Atque sic quidem satis demonstratum esse puto, omnes illas prærogativas, sive seorsim, sive conjunctim sumantur, nihil omnino probare de Petro: quod fuerit Monarcha, sive primatum potestatis & jurisdictionis in Ecclesia habuerit: ut nihilominus res adhuc clarior ac manifestior fiat, & oculariter demonstretur; quod argumentorum hæc congeries, planè nihil probet: notandum est, in probationibus, diversa argumenta continentibus, quæ nihil quidem seorsim verè, conjunctim tamen probare debeant, has condiciones observandas esse: 1. Ut quodlibet eorum revera inesse, vel convenire debeat subjecto quæstionis, simulque de prædicato dici universaliter, sed non reciprocè. 2. Ut unumquodque illorum sit, vel per se manifestum & cognitum: vel facile probari queat. 3. Ut unum argumentum semper limitet alterum: 4. Ut tota argumentorum congeries tandem fiat descriptio prædicati, quæ cum illo simpliciter convertatur. Quæ condi-
tiones

nones quando in congerie argumentorum, quæ adducuntur, tanquam talia, quæ quidem seorsim nihil, conjunctim verò evidenter rem confirmare possint ac debeant; non inveniuntur; tum omnia frustra adducuntur, & ut per se nihil, sic neq; conjunctim quicquam probant.

XXXVIII. Verbi gratia, sit quæstio: An lapis sit corpus terrestre? Affirmatur, & probatur: Quia est corpus elementare, grave, frigidum & siccum. Ubi certum est; quod, si singuli termini seorsim adhibentur, nihil probant. Nam nulla est consequentia: Lapis est corpus: Ergo est terrestre corpus. Est Elementare: E. est terrestre: Est grave: Ergo est terrestre: Est frigidum: Ergo est terrestre: Est siccum, Ergo est terrestre. Nihil sequitur. Nam & cœlum est corpus: & aqua est gravis & est frigida: & ignis, igneaque corporea sunt sicca. Nullum autem horum est corpus terrestre. Interim argumenta ista simul sumpta evidenter probant, lapidem esse corpus terrestre. Ratio est, quia omnia, etiam seorsim sumpta, rectè lapidi tribuuntur, itemque corpori terrestri. Huic verò, imò utrique universaliter quidem, sed non reciprocè. Deindè unum semper limitat alterum: & ita limitando, tandem singula sumpta ab omnibus aliis corporibus lapidem distinguunt, ut nullum remaneat præter corpus terrestre. Sic corpus distinguit lapidem à spiritibus: limitatur illud per elementare: quo distinguitur à corpore cœlesti & æthereo: limitatur porro illud per grave, quo licet conveniat cum aqua distinguitur tamen ab igne & aëre: Illud adhuc magis limitatur per subsequens *frigidum*: quo, licet rursus conveniat cū aqua, distinguitur tamè etiā ab aëre & igne. Et tandem limitatur illud per siccum, quo convenit quidem cum igne, sed distinguitur ab aëre & aqua. Ergo per attributa illa simul sumpta, distinguitur lapis à spiritu, à cœlo, ab igneis corporibus, ab aëreis & aqueis: cum autem sit substantia, necesse est, sit terrestre corpus. Idque certò inde confirmatur: Nam argumenta illa simul sumpta constituunt descriptionem, quæ simpliciter cum corpore terrestri convertitur: Nam omne corpus terrestre est corpus elementare,

rare, grave, frigidum, siccum. Et omne corpus elementare grave frigidum & siccum est corpus terrestre: Unde irrefutabilis syllogismus talis conficitur: omne corpus elementare grave frigidum & siccum est corpus terrestre: Atqui lapis est corpus elementare, grave, frigidum & siccum: Ergo lapis est corpus terrestre.

XXXIX. Simile fieri debebat in allegatis prerogativis. Nihil minus verò fieri in istis, ex hactenus demonstratis est manifestum. Nam primum est, *quod Petri fuit mutatum nomen*. Hoc quidem inest Petro: verum an inest Monarchæ, ita ut omni Monarchæ debeat mutari nomen, adhuc sub iudice lis est. Imò falsum est. Ideoque mutatio nominis nullum habet respectum ad Monarchiam, quomodo ergo ullo modo potest predicatum illud cum Petro conjungere. Altera erat: *quod Petrus primo loco ponitur*. Hoc quidem Monarchiæ competit universaliter: quia omnis Monarcha primo loco ponitur. Petro verò non tribuitur simpliciter & semper. Deinde præcedens prerogativa cum hac nullam habet affinitatem, neque se mutuò afficiunt vel limitant. Tertia erat: *quod Petrus loquatur nomine omnium*. Neque hoc Petro simpliciter & semper tribuitur: neque de Monarcha verè affirmatur. Cum huius os sit Cancellarius. Neque video, quam affinitatem habeat hæc prerogativa cum prima. Neque quinta verè de Petro, neque de Monarcha dicitur: neque ullam cum præcedentibus cognationem habet. Neque sexta tantum Petro competit, neque Monarchæ. Septima planè negat aliquem esse Monarcham. Octava quoque falsò Petro tribuitur: & nihil facit ad Monarchiam. Et nona falsò tribuitur Petro. Et decima non Monarcham, sed doctorem præcipuè arguit: ut & undecima & duodecima. Ultima quoque Petro falsò tribuitur. Quia itaque quædam sunt falsa: quædam nullum planè respectum habent ad Monarchiam: neque ullo modo se mutuò limitant, ut tandem descriptio cum Monarcha convertibilis inde confici possit; sequitur quod illæ prerogativæ ut non seorsim, sic neque conjunctim quicquam probent.

XL. Nihil ergo magis ac firmiter concludit hoc argumentum, quam quod simili modo ac forma cōfecit Dn. Meyfartus, & hoc loco Becano opposuit his verbis: Si cæcum Becani iudicium vellemus imitari, sic possemus argumentari: Johanni Christus imposuit nomen (una & Jacobo) Boanerges, Marc. 3. 17. in institutione cœnæ Dominicæ accubuit super petus Christi Joh. 21. 20. eundemq; singulariter dilexit, ibid. ei commendavit moriturus matrem Joh. 19. 27. ei prorsus singularia mysteria revelavit, quæ nulli ex aliis Apostolis revelata fuerunt, uti ex libro Apocalyptico constat: reliquis Apostolis omnibus defunctis fuit superstes, ut ex historia Ecclesiastica novimus, canoniq; scripturæ finem imposuit, Apoc. ult. v. 18. & 19. imò reliquis Martyrio coronatis, solus morte naturali obiit, si credimus historiæ: Ergo fuit visibile caput Ecclesiæ Catholicæ.

XLI. Sanè ovum ovo tam simile non est, quam hoc argumentum illi Becani. Quare & indè videre potest benevolus lector, quanta vis terminis illis, à Becano ineptissime conglobatis, insit. Perindè sese hoc commentum habet, atq; si quis stultus sibi & sui similibus persuaderet tres, quatuorve demortuos equos seorsim quidem currum non trahere, sed conjunctim optimè posse.

XLII. Pergit Becanus §. 46. *Nota, quaedam ex his prærogativis præcesserunt primatum Petri; quaedam secutæ sunt. Priores, vel erant signa futuri primatus, vel dispositiones prævia, vel promissiones ad eundem obtinendum. Reliquæ sunt effectus, & quasi exercitia primatus jam obtenti. Undè apparet, M. Antonium priores non rectè oppugnare ex eo, quod ex singulis seorsim sumptis, non possit evidenter convinci primatus. Non necesse id est. Sufficit, si vel singula, vel omnes simul sumpta sint, quaedam signa vel dispositiones ad futurum primatum. Dabo simile exemplum. Quando Rex, vel Imperator, vult alicui dare supremam Aule præfecturam, non solet reipsè dare, nisi prius illam præ aliis habuerit commendatum, tum in familiari conversatione, tum in officiis regni vel imperii, tum in legationibus, & similibus prærogativis. Quare hoc? Quia per hujusmodi præambula partim vult illum.*

lum disponere ad supremam præfecturam, partim significare, se illum præ aliis magnificare: & ad supremam dignitatem promoveri velle: Ne si subito, & quasi ex abrupto id faciat, videatur temerè sine consilio, & cum invidia aliorum, facere. Sic fecit Christus. Voluit Petro dare supremam Ecclesiæ præfecturam: sed non voluit sine præviis signis & dispositionibus, ut in simili jam explicatum est.

XLIII. Suavia somnia ex campo Elyfio. Demonstravimus istas confictas & conglomeratas prærogativas nihil quicquam de primatu Jurisdictionis & Monarchiæ Petri probare: Demonstravimus plerasq; falsas esse, & planè non posse, quasdam tantum secundum quid Petro tribui: Ergo probet prius Jesuita istum Petri primatum, quàm illius prærogativas dividat partim in signa, partim in dispositiones, partim in effectus: alias oleam & operam perdit, & nihil efficit. Uti etiam simile exemplum nihil ad rem facit. Similia quidem, quando res antea est probata, eandem illustrent & explicent: Verum, quando probata nondum est, frustra adducuntur. Quomodo enim illustrari poterit id, quod vel planè non est, vel adhuc incertum, vel æquè obscurum est. Uti etiam æquè obscurum est ac incertum, Christum in futuro suo præfecto constituendo ea debuisse methodo uti, quo aliàs modo Imperator suos præfectos constituere solet: æquè dubium & incertum est, Petrum unquam à Christo vicarium loco sui ordinatum, constitutum & confirmatum esse. Quid? quod illa ratio politicam planè affinitatem habeat cum confictis illis prærogativis Petri: Ut sic subsidium à præfectis aulæ Imperatoris Jesuita frustra speret.

SOLI DEO GLORIA.

C 3

Ad



Ad Præstantissimum atq; Eruditissimum
Dn. RESPOND. Amicum & fautorem suum di-
lectum de primatu Petri dispu-
tantem.

Materia illustris, simul & qua digna Cathedrâ,
Materia hæc nostro tempore digna satis.
Quid mihi dic etenim magis est quam audacia Papæ,
Urget quam sæclo hoc, contra Lutheri sequas
Præter primatum Petri, quem semper abundè
Defendunt verbo non mediante Dei.
Hoc quin primatum Petri Papæq; relegat
E templo, Papæ ô! Jam ite & abite procul.
Ite & abite procul, mercedem quarite, cujus
Primitias primo dabit avernus ater.
Intereâ pulchra sibi quam conjunxit amore,
Sponsæ non deerit, qui Caput ipse Deus.
Quod Theſibus doctis monstrat MARTINUS, eoque
Nugas Becani pellere ritè potest.
Nestoreum vivat MARTINUS tempus, ut omnes
Hæreses & fraudes pellere ritè queat.
Vivat Respondens, pergat certare potenter
Sic tandem ex studiis præmia magna feret.

M. Abraham Lehman.

Imperium Papæ, divini nominis hostis,
Fictitium quod sit, legitimum minuens
Sceptrum Magnatum, rectè popularis amice
Hac vice contendis vi logicâ asserere!
Quem tua non capiat pietas? conamen honestum
Quis neget? imò Deus qui regit astra probat.
Rebus,

Rebus, perge, tuas operas impendere facris,
Nî tibi sunt mundo præmia, certa Polo.

M. Georgius Paulus Spenlinus
Witteberg. S.S. Tb. Stud.



ODE ALCAICA AD BECANUM
Scripta, & picta.

TE comprecor jam, belle Becanule,
Quò paululum consumere temporis
Hunc perlegendo codicillum,
Mens animusque tuus velit, quò
Spectare crimen luminibus queat
Falsò peractum à te, (lege comprecor)
Tu Errata cernes, mox tacebis,
Papicolas magis haud fovebis.
Cur adides verò sive pilula,
Nunc conjicis, tanquam quæ acrophysio
Ignem moves? Cur aleamquè
Tuiacis intrepidam? quid audes?
Orcinè tu scandes anabat brulum,
Diri, Papæ cum stirpe que persidâ
Fam limites spectare cupis? Vab
Quid facis? haud sapis optimè tu,
Ecclesiam, cur ritè dicas struis
Delere nostram? mitte precor mala,
Quæ mente ducis cogitata,
Ac bene mali siquidem haud nocebunt.

Quam-

*Quamvis gerat baccis Diademata
Nunc Pontifex baccata tenellulis
Ejus tamen doctrina nunquam
Mentibus est benè comprobata,
Cur ergò tu tricas Acherusias
Ecclesiam in nostram jadis & leves,
Est quæ tamen Christo dicata,
Nonne tuam pudet bocce mentem?
Ut Laurus in Pindo viget innuba,
Et Palma non cedit pia ponderi
Ecclesie sic non recedent
Sed quasi Laurus erunt, virebunt.*

Richardo Köteln Torg.

F I N I S.



99 A 6900

ULB Halle 3
002 622 092




SB

Repro

VD 77







61

I TERTII
Confessionem
XXVIII.

nens
ARTICULI VII.

clesia,

ecie,
s Patrum & præ-

Becanus probare cona-
is Petro datum esse, &c.

ita.
nia V Vittebergensi,

S I D E
RTINI S.S. Th.

rimario, Facult. Theol.
i Arcis Præposito,

DENTE
äblern V Vitteberg.

ollegii Veteris
Decembr.

ER G Æ,
SII R OTHI, Acad. Typogr.
DC XXX.

